



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXXIX. De Confessione, & absolute in articulo mortis moribundis
impertienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XXXIX.

De Confessione, & absolutione in articulo mortis moribundis impertienda.

HÆreticus quidem in extremis constitutus invisitur ab Ambrosio Parocho Catholico, cui persuadere conatur, ut abjurata hæresi Catholicam fidem profiteatur, utporè unicè necessariam ad salutem, sed cùm frustra eum adhortaretur, sequentia ei verba suggerit: Nonne in Religione tua permanes; quia illam veram existimas? Nonne illam Statim relingeres, si falsam putares? Nonne doles, te Deum offendisse? Nonne confiteris Deo te peccasse, & mihi confitereris, si scires, te posse, & debere hoc facere? Annuit ad singula æger, tum Parochus judicans apud se, ægrum esse tantùm materiale hæreticum, eum sub conditione absolvit. Mox ad alium, ad quem vocatur, invisendum ægrum Catholicum festinat, quem cùm omnibus sensibus destitutum invenisset, nec ullum Confessionis signum dare potuisset, eum sub conditione absolvit.

QUÆR. I. An absolvendus sit, vel absolvi possit moribundus, qui neque in specie, neque in genere peccata sua confiteri potest, nec ullum dat Confessionis signum.

QUÆR. II. An talis hæretici confessio sufficiens, & vera fuerit. 3. Et an Ambrosius Parochus prudenter concesserit absolutionem?

225 **A**D I. Q. Præmitto prius, moribundum rectè absolvi. Non solum quando petit absolutionem, etsi non possit ullum in specie peccatum declarare, vel si edidit præsentem Confessario signa solius contritionis, & doloris in ordine ad absolutionem, ut si percutiat pectus, aut manus, oculosque in Cælum tollat, vel si dicat: Miserere mei Deus, si videlicet hæc signa edat, sciens esse

esse periculum mortis, sitque mentis compos, & aliunde peccata in specie explicare non possit. Non inquam in hoc casu solum rectè absolvitur, sed etiam licet prædicta signa dederit Confessario absente, sed aliis præsentibus, qui id Confessario retulerunt, ut docet cum aliis Lugo contra alios. Imò licitè absolvitur, quando Confessarius monitus à domesticis, quòd huiusmodi signa dederit, attamen quando ad infirmum venit, reperit illum omni planè sensu destitutum, prout rursus cum aliis docet idem Lugo; nam si facta Confessario formali confessione invaderet infirmum ante absolutionem spoliatio omnium sensuum, capax nihilominus foret absolutionis, ut per se liquet: ergo etiam capax erit, postquam fecit Confessionem virtualem, & implicitam.

226 Difficultas ergo, & controversia est, an si nec ipse Confessarius aliquod Confessionis signum dari advertit, nec prius datum esse ex aliis intelligit, an nihilominus absolvere possit, saltem sub conditione? ubi

Non pauci imò communis DD. apud Dianam. 3. p. 17. 3. Q. 8. & 4. p. 17. 4. R. 92. Lug. D. 17. & Burghaber Cas. 81. centur. 1. negativam sententiam tenent, eò quòd Decreta Pontificum, & Conciliorum ad absolutionem mori-

bundo sensibus destituto dandam requirant vel testes, vel immediatam experientiam signorum significantium voluntatem confitendum semper subjungunt: *Si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habeat, vel si desiderium confitendum per se, sive per alios ostenderit.*

Et ratio ulterior est; quia Sacramentum Pœnitentiæ pro parte essentiali exigit non solum contritionem, sed etiam Confessionem sensibilem, seu manifestatam aliquo signo sensibili, quod percipi possit à Confessario, & ex eo colligere, quòd pœnitens petat absolutionem, & quod de se sit aptum ad determinatè significandam talem petitionem absolutionis, nec sit omninò indifferens, ut oriatur ex quocunque alio affectu, & voluntate, quàm ex voluntate confitendum, nam ubi nulla est sensibilis accusatio, ibi nulla esse potest absolutio. Et hinc non quivis gemitus, & suspiria, quæ etiam oriri possunt ex gravitate dolorum, metu mortis &c. admittenda sunt pro sufficienti signo doloris, vel petitione absolutionis, sed solum si orientur ex affectu virtutis Religionis, vel ex aspectu sacræ Imaginis, Crucifixi &c. quia omne signum Religionis satis probabiliter pro illo articulo extendi potest ad significandum dolorem de peccatis, & ad petendam absolutionem.

Hh 3

Unde

Unde loquendo saltem de Confessario, qui sit de Societate Jesu cenlet P. Burghaber *Cas. 81. centur. 1. m. a.* oppositam praxim à nullo ex PP. Societatis praticari posse, cum in ordinatione pro Studiis Superioribus Anno 1651. ad Provincias missâ prohibeatur, ne doceatur hæc sententia: *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest.* Ex qua ordinatione infert prædictus Author, quòd prohibitio ista maximè posita sit ad tollendam praxim, cum vix ulli adhuc in Societate affirmativam docuerint, multi autem praticaverint; tum quòd doctrina moralis in Societate sit quasi forma, & regula praxis instituentæ, ut proinde hæc sine illa subsistere nequeat. Unde infert 2. nec sub conditione posse moribundum talem Sacramentaliter absolvi, tum quia hæc sententia absolutè, & absque limitatione prohibetur; tum quia aliter hæcenus absolutio data non est, nisi sub conditione, & ex præsumptione bonæ dispositionis ex bona fama: ergo cum nihilominus prohibitio posita fuerit, omnem hæc limitem, & præsumptionem sustulerit, necesse est.

227 Contra verò multi, gravesque AA. affirmativam sententiam benigniorem amplectuntur cum D.

Antonino in *Summ. part. 1. cap. 35. n. 7.* Malfes. in *Summ. tom. 1. tr. 7. cap. 5.* Joan. Caramuel in *Theol. mor. L. 3. D. 4. n. 154.* Tambur. de *Conf. l. 2. c. 10.* Carden. in *1. cris. d. 48.* Gobat n. 601. Sporer n. 645. Moya q. 4. aliisque compluribus, quorum aliqui docent pro sensibili signo doloris, atque Confessione sensibili sufficere, & servire vitam Christianè actam, sive, quæ Christianum decet, & convenit, per externa signa Religionis declarata.

Alii verò non assignant vitam Christianè actam pro ipsa Confessione sensibili sufficiente ad absolutionem, sed solum pro signo sufficienter fundante præsumptionem, quòd moribundus pro tali articulo edat aliqua signa, quibus petat absolvi, & testetur dolorem de peccatis, etsi fortè Confessarius talia signa determinatè, & reflexè non advertat, ut causata à tali affectu, & desiderio absolutionis. Unde

R. 1. Et dico 1. Si ex parte poenitentis nullum omninò signum, petitio, aut desiderium Confessionis præcessit, non potest illi conferri Sacramentalis absolutio. Ita teste Valq. q. 91. a. 2. dub. 1. omnes DD. qui ante ipsum scripserunt, & Lug. D. 17. S. 3. n. 39. qui postquam dixisset doctrinam hanc ab omnibus haberi pro certa, ita concludit: Non expedit ergo in
re

re tanti momenti sub pietatis specie plus sapere, quam omnes nostri SS. PP. sapuerunt, sed observare terminos, quos apposuerunt nobis.

Ratio responsionis petitur tum ex Decretis Pontificum, & Conciliorum cit. tum ex ipsa natura hujus Sacramenti, quod institutum est per modum iudicii, ad quod necessario requiritur aliqua saltem Rei accusatio, seu aliqua Confessio aliquo saltem modo sensibilibus significata; quia ubi nulla omnino datur Confessio, nequit ibi dari absolutio: ergo si ex parte penitentis nullum datur, vel datum fuit signum Confessionis, absolvi non poterit.

228 R. 2. Sola vita Christianè acta absque omni signo sensibili contritionis, aut desiderio confitendi non sufficit, ut moribundus absolvi possit. Ita AA. qui stant pro conclusione immediatè præcedente cum aliis. Ratio est; quia sensibilia signa vitæ Christianæ, cuiusmodi sunt audire Sacrum, invocare Sanctos, recitare orationem Dominicam, sumere S. Eucharistiam, & similia, non ordinantur ad petendam absolutionem à peccatis; quis enim, inquit P. Thyrsus, hac intentione audit Sacrum, sumit S. Eucharistiam, fundit preces &c. ut hoc modo aliis manifestet, se peccasse? vel enim hæc

signa vitæ Christianæ peccatum illud, à quo debet infirmus absolvi, antecedunt, vel sequuntur? si prius; tunc clarum est non posse esse signa æquivalentia Confessionis legitimæ ipsius peccati; nemo enim se accusat hodie de peccato cras futuro. Si posterius, tunc ad hoc, ut servirent pro Confessione, deberent vel ex natura sua, vel ex institutione, vel ex fidelium communi usu esse ordinata ad significandum desiderium absolutionis conjunctum cum seria detestatione peccatorum: atqui hoc non habent, tum quia aliàs non fuisset necessaria tanta sollicitudo, quâ Concilia, & Pontifices ad absolutionem moribundo sensibus destituito dandam requirunt, ut voluntatis præviæ testimonium aliorum verbis habeat, vel desiderium confitendi per se, sive per alios ostenderit. Tum quia vita Christiana non est sui ipsius accusatio, sed ex fine, & natura sua significat potius omissionem peccatorum, quam ipsa peccata, nec ex usu hominum adhibetur ad peccata significanda, ut ante dictum est.

R. Tamen 3. Licet vita præterita Christianè transacta non sit sufficiens Confessio, aut signum sensibile absolutionis, est tamen sufficiens fundamentum ad prudenter præsumendum dari, vel datum fuisse aliquod signum sensibile

sibile absolutionis petitorium, quamvis id à Sacerdote notatum non fuerit; adeoque in praxi moribundus, de quo constat, quòd Christianè vixerit, potest juxta probabilem sententiam Sacramentaliter absolvi à peccatis, saltem sub conditione.

Ita S. Aug. *tr. 6. de adult. conjugis l. 1. c. ult.* ut ostendit Bolco *S. 9. Conclus. 6. à n. 131.* S. Antonin apud Schild. *tr. 6. n. 39.* Tambur. *l. c. Gormaz n. 262.* Cardenas *l. c. Averfa S. 18.* Gobat *n. 601.* Sporer *n. 675.* Arsdec. *tom. 2. p. 2. tr. 3. c. 2.* Lacroix *l. 6. p. 2. a. 2.* Quarti, Malfes, Homobon. Leand. Bonagr. Caramuel. *l. c.* aliique complures, quam sententiam vocat nunc communem Moya *q. 4.* adductis quàm plurimis, qui eam absolutè tenent, & alios longè plures, qui eam ut probabilem defendunt.

Prob. 1. In extrema necessitate, & periculo salutis æternæ, quando Sacerdos probabiliter judicare, aut prudenter præsumere potest adesse sufficientem materiam ex parte pœnitentis, potest ipsum, saltem sub conditione absolvere: Sed in agone hominis Christianè viventis potest probabiliter judicare, aut prudenter præsumere adesse sufficientem materiam ex parte pœnitentis moribundi: ergo &c. maj. prob. inde quia hoc

modo non administratur Sacramentum temerè, & irrationabiliter, cum probabiliter censeri possit, non esse suo fine frustrandum, ad quem à Christo est institutum, patetque à pari cum Baptismo, qui juxta Rituale Romanum conferri etiam potest fœtui per abortum ejecto, si tamen aliquis in eo motus deprehendatur, qui probabile saltem sit vitæ indicium, & juxta communem, si non suppetat aqua naturalis elementaris, potest ad illum in necessitate conferendum adhiberi quæcunque alia materia, quæ saltem probabiliter sufficit ad valorem hujus Sacramenti, min. verò quòd in agone hominis Christiani habeatur semper talis probabilitas de materiæ sufficientia, comprobatur tum ratio extrinseca, tum intrinseca. Extrinseca quidem, cum pro hac sententia plus, quàm 40. graves AA. referantur, ut videre est apud P. Schild. *tr. 6. de princip. form. conscient. & ultra 30.* alleget La Croix *l. c.* Intrinseca verò; quia quilibet amans suæ salutis prudenter præsumi potest, quòd in eo casu ea adhibeat, quæ scit sibi esse maximè proficua, aut etiam necessaria ad salutem suam consequendam: atqui omnis, qui Christianè vixit, debet haberi inter eos, qui amantes sunt suæ salutis; sensibilis verò quædam sui accusatio, seu Confessio ad officium Judicis spiritualis per aliquid quod signum ordinata est tale medium

dium maximè proficuum, aut necessarium ad salutem: ergo de quolibet tali Christiano præsumi potest, quòd in extremo eo periculo ejusmodi medium adhibeat, sibi que applicare velit eo meliori modo, quòd hìc, & nunc potest.

Conf. 1. Quod plerumque fieri solet, quòdque in talibus circumstantiis sæpius factum est, & quod ratio naturalis facilè persuadet factum esse, illud prudenter præsumitur factum esse: Sed quod Christianè vivens in articulo mortis aliquod signum æternum, etsi à te non notatum, e. g. suspirium, gemitum, motum labiorum, oculorum in Cælum elevationem &c. dederit ad contestandum dolorem de peccatis, & petendam absolutionem, sæpius, aut plerumque factum est, & fieri solet, & ratio naturalis facilè persuadet: ergo prudenter id præsumitur; præsertim cum rarissimè contingat, ut quis omnibus sensibus ita destituatur, ut non aliquod saltem breve spatium interveniat, quo sibi sit præsens: Christianè autem vivens sibi præsens prudenter præsumitur in eo articulo velle omnia media adhibere necessaria ad salutem, aut Summè proficua, & utilia, cujusmodi est absolutio à peccatis. Id, quod plures de seipsis testati sunt, qui vitæ periculo, in quo versabantur, defuncti postea convaluerunt, quos inter est etiam Petrus Marchantius in *lib. qui tribunal R. P. Leonardelli Soc. Jesu,*

Sacrament. inscribitur tom. 1. tit. 4. dub. 7. qui de se ipso affirmat, in simili casu vacasse se piis animi affectionibus per signa externa expressis, quæ tamen circumstantes putabant esse solùm signa naturalia angustiarum, adeoque per experientiam de se ipso acceptam sibi proposuisse, quòd nemini unquam Catholicorum Christianè viventium, quantumvis sensibus destitutus appareat, absolutionem denegare velit.

Conf. 2. Ex Moya l. c. quia rationes, quæ militant pro sententia benigna affirmativa ad minimum generant dubium, an moribundus capax sit absolutionis, nec ne: at qui in dubio de capacitate subjecti ad absolutionem, & materiæ sufficientia in mortis periculo impertienda est absolutio saltem sub conditione juxta communem: ergo in eo casu poterit moribundus absolvi sub conditione: imò citt. Maya cum Gormaz, & aliis infert, Confessarium in eo articulo non tantùm posse, sed teneri, saltem ex charitate, talem moribundum absolvere.

Unum tamen hac in re videtur mihi difficile explicatu, quomodo hujusmodi signum, quod prudenter præsumitur ab ægro fuisse editum, à nemine tamen observatum, dici possit Confessio Judici facta; cum nec Confessarius, nec ullus domesticorum viderit dari hujus-

modi signum, & tamen Sacramentum Pœnitentiæ pro parte essentiali exigat non solum contritionem, sed etiam Confessionem legitimo Sacerdoti factam; sicut ergo, teste Arriaga de *Pœnit. d. 36. n. 28.* etsi Sacerdoti divinitus constaret, ægrum esse contritum, non posset nec quidem sub conditione absolvi, quippe dolor internus nullo signo externo manifestatus non facit accusationem sui sensibilem, qualem tamen requirit Trident. tanquam partem essentialem; ita etiam ipsa Confessio non erit sensibilis, si à nemine advertatur fuisse signum aliquod externum editum; nam si ut dicitur: propter quod unumquodque tale, & illud magis tale, fieri oportet, ut si contritio fiat sensibilis per signum externum, multò magis illud signum externum reddatur sensibile ipsi Confessario.

Hujus difficultatis solutionem aliquam reperio apud P. Dicastill. *D. 9. de Pœnit.* qui judicat hujusmodi Confessionem per signum aliquod explicitum ab ægro factam adhuc fieri Sacerdoti saltem moraliter præsentem, in quantum hujusmodi signum adhuc moraliter perseverat in præsentia ægri, & Confessarii, nec revocatur ab ægro, à quo censetur moraliter continuari, & sic consequenter etiam Confessio. Valeat quantum potest hæc solutio, quæ forsitan non probabitur omnibus.

Unde responderi posse existimo, semper quidem requiri contritio-

nem sensibilem per aliquod signum externum, quod ponimus fuisse editum in nostro casu, non tamen requiri, ut ipsa peccata in specie, imò neque semper in genere percipiantur ab ipso Confessario notitia nimirum auriculari, vel oculari, sed sufficere, ut prudenter præsumi possit, dari contritionem signo aliquo externo manifestatam, etsi signum illud ab ipso Confessario non percipiatur. Cur enim hoc non sufficiat? Sicut sufficit ad dandam absolutionem, si prudenter judicet Confessarius pœnitentem habere propositum se emendandi; cum fieri possit, ut tale propositum non habeat; nam tunc darentur adhuc omnes partes essentielles Sacramenti Pœnitentiæ, nimirum contritio, & sui accusatio per signum illud facta, & quidem ipsi Confessario illi signo moraliter præsentem, quatenus moraliter perseverat. Data itaque impotentia hac physica eliciendi signum ab ægro, quod sit sensibile, & notabile à Confessario, debet pro casu extremæ indigentia sufficere qualis qualis Confessio, ut saltem sub conditione absolvi possit moribundus. Ex his colligi etiam potest responsio ad rationem pro sententia rigidioris in contrarium supra allatam.

Ad Decreta Pontificum, & Conciliorum R. ea intelligi posse de absolutione absolutè danda, sicut dari debet tunc, quando moribundus
five

sive per se, sive per alios sufficiens dedit signum absolutionis petitorium; non verò loqui de absolutione sub conditione impendenda tunc, quando dubium solummodo est, aut prudenter præsumptum signum habetur. Accedit, quòd Decreta illa rectè subjungant eam limitationem; quia non potest statim de unoquoque prudenter præsumi dari ab eo, vel datum fuisse signum aliquod petitorium absolutionis; sunt enim, vel esse possunt homines adeò pravis moribus imbuti, & malæ vitæ famâ laborantes, ut eorum vita, prout advertit Moya cit. non tantùm significet habituros eos in eo articulo desiderium Confessionis, aut fundamentum præbeat præsumendi prudenter ejusmodi doloris signa, sed potius desperaturos esse de misericordia Dei, & fundamentum suppeditet oppositum præsumendi.

Ad id, quod de Confessario ex Societate adductum est à P. Adamo Burghaber R. etsi interpretatio illa sit probabilis ut loquitur P. Gobat *tr. 7. cas. 19.* contrarium tamen esse longè probabilius.

Ratio est 1. Quia indici sententiarum è nostris Scholis eliminatarum expressè hæc declaratio subnectitur: *Porro prædictas propositiones omnes nullâ afficimus censurâ, sed solum prohibemus doceri in nostris Gymnasiis ad majorem uniformitatem, & so-*

lilitatem doctrinæ inter nos, & copiosorem fructum in auditoribus faciendum. Ratio autem, cur dum Societas vetat doceri à nobis aliquam sententiam ad mores spectantem, non intendat hoc ipso prohibere usum illius doctrinæ in foro conscientiæ, est; tum quia Confessarius solus est in eo foro Judex, tum quia Societas nec directè, nec indirectè damnavit unquam doctrinam, quòd Confessarius, aut possit, aut etiam debeat se in foro conscientiæ accommodare opinioni, quam scit haberi ab ipso pœnitente, aliisque probatis & gravibus Doctoribus pro probabili. Præterea adverto hîc notanda esse ultima hæc verba in ordinatione posita: *Nec prudenter putare possit;* nam in casu, quo Sacerdos potest id prudenter putare, ac præsumere, manebit ordinatio illa integra, & inviolata,

Ad 2. & 3. Q. ex Caramuele desumptum respondet P. Gobat *citt. tr. 7. n. 622.* illam Confessionem factam ab Hæretico, prout in casu ponitur, fuisse (si seriò talia dixit) veram Confessionem, utpote cui nihil essentialiter defuerit, atque adeò fuisse formaliter integram, etsi non materialiter, ac proinde Confessarium prudenter concessisse absolutionem saltem sub conditione, si ex circumstantiis rationem habuit dubitandi, an vero, seu minimè fucato animo ad interrogata responderit infirmus;

li 2

absolutè

absolute verò, si positiva dubitandi ratio non occurrit.

Hanc suam responſionem ulterius non probat cit. Gobat, ſed videtur ſupponere, ut certam. Verùm de certitudine hujus reſolutionis non immeritò dubitari poſſe puto. Ratio dubitandi, quæ nobis occurrit, eſt; quia tametiſi Hæreticus ad ſingula quæſita annuerit, & ſic implicite ſaltem fateatur ſe peccatorem; non tamen hujusmodi Confeſſio dirigitur ab Hæretico in ordine ad abſolutionem obtinendam, quod tamen neceſſe eſt, ut ſit Confeſſio Sacramentalis; ſic enim communiter docent AA. eum, qui ſua peccata per modum narrationis exponeret, vel etiam ſolius conſilii cauſâ, non dirigendo eam narrationem in ordine ad abſolutionem, non poſſe vi hujus narrationis valide abſolvi: atqui hoc ipſum fit in noſtro caſu; nam vel Hæreticus eſt Calviniſta, & hic ſimpliciter deteſtatur Sacramentum Pœnitentiæ, quod nec explicite, nec implicite petit ſibi adminiſtrari; vel eſt Lutheranus, & hic licet admittat Confeſſionem ritè Parocho fieri, non tamen ut Sacramentalem, quia non tenet virtute Sacramenti Pœnitentiæ dimitti peccata, ſed Parochum pronuntiando abſolutionem tantum declarare ſu-

um pœnitentem eſſe abſolutum, & non virtute clavium abſolvi.

Ad hoc argumentum puto non incongruè reſponderi poſſe Hæreticum annuendo ad ſingula habere actum contritionis, vel ſaltem attritionis de ſuis peccatis, quæ ſaltem genericè confitetur; generica autem Confeſſio pro caſu neceſſitatis eſt ſufficiens; jam autem actus contritionis eſt implicita voluntas ſervandi omnia præcepta, inter quæ eſt etiam præceptum Confeſſionis; hæc ergo univerſalis voluntas, quantumvis implicita, prævalet illi voluntati particulari, quam habet, non ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quod ex errore invincibili judicat non dari, vel non eſſe ad ſalutem neceſſarium, ſicut in ſimili docent AA. Hæreticos verè ſuſcipere Sacramentum Matrimonii vi illius generalis voluntatis, quam habent, faciendi, quod facit vera Eccleſia, licet ipſi ex errore putent ſuam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, & Matrimonium non eſſe Sacramentum, ſed ſimplicem contractum, qualis fuit ante adventum Chriſti. Accedit, quòd etiam ad hoc Q. annuerit infirmus; nonne confiteris Deo te peccâſſe, & mihi confitereris, ſi ſcires te poſſe, & debere hoc facere?